Reverende in Christo Pater

Maximas et plurimas debeo R.ae V.ae grates pro pretiosis favoribus, quibus me profecto immeritum prosequi dignata est ubi praeter ephemerides tabulas quoque lunares Maieri, quas iam dudum desideraveram, cum reliquis suis lucubrationibus mihi transmisit. De his igitur primo agendo refert in iis methodum determinandi permagna cum precisione differentiam meridianorum mediantibus observationibus immersionum et emersionum satellitum Jovis, eo magis depraedicandam, quo minus literato orbi remedium aliquod innuerit ab erroribus illis, quibus observationes eiusmodi ob memoratas circumstantias subiectae esse possunt, easdem purgandi; quae porro observationes si instituantur sub aequali ut ponitur, coeli obscuritate, profecto id, quod promittitur, praestabunt, ubi praeterea etiam ea inaequalitas, quae ob inaequales per annum satellitum distantias oritur, utut parva, ex inaequalitate splendoris satellitum corrigi poterit ex ea ipsa ratione, qua splendor corporum insensibilis apparentes diametri decrescere solet. Quanquam ea quoque correctione opus non foret, si eadem immersio aut emersio utrinque observaretur. Inde perquam commode mihi detexit errorem, in quem quis incurreret, qui differentias meridianorum ex coniunctionibus lunae cum fixis determinare voluerit, ob inaequalitatem nimirum parallaxeos

lunæ, eamque needum determinatam. addere quidem etiam
volui epistolæ huic tuæ tum methodum illam, quæ quidem aliquando
Romæ quoddam dissidio inter nos extiterat, quamque interea perficere
licuit typis eandem futuræ eclipseos solaris occasione, per quam nimirum
quisque iuxta elementa calculi sui ex tabulis depromptis pro quovis loco, par-
ticulari eclipsin solarem delineando citra errorem duodecimæ partis unius
minuti primi temporis possit momentum initii, et finis eclipseos, ipsiusque
coniunctionis ☌ definire, tum aliam methodum maiori adhuc cum precisione
eadem per micrometron observandi, ac porro cum previa eclipseos determi-
natione comparandi, et si quod sit, quantumque tabularum vitium, disquirendi.
verum quemadmodum malum quoddam iterato recrudescens me impedivit,
ne saltem per epistolam pro transmissis (ut decuit) tempore, eamque
iam bis exhortatam gratum animi signum R.dæ V.ræ ostenderem ita perinde
quoque obfuit, ne ea, de quibus antea iam conscripta, sed nondum penitus emen-
data ad typum promoverem. quidquid autem de his sit, sive scriptam, sive
typis impressam utramque methodum haud paulo post transmittam una cum
dissertatione quadam de gravitate lunæ relatæ ad gravitatem corporum
terrestrium, eiusque mediocri a terra distantia, quam ante biennium
non integrum ad Academiam Monacensem occasione quæstionis cuiusdam
ab ea hac de re pro statuto numismatis aurei 50 vulgarium aureorum quod
pretium premio transmiseram, ab eadem Academia ita approbatam, ut nil
habuerit, quod opponeret, numismate tamen duntaxat argenteo eiusdem
magnitudinis eandem dissertationem honorare voluerit (: dum numisma aureum
Eulero Berolinensi transmiserat :) cum promisso, quod eandem dissertationem
suis comentariis typis imprimendis sint inserturi. nihilominus autem eius

membra, inter quae iis, qui nomen gerunt catholici, heterodoxi mixti sunt,
in suis solennitatibus contra Societatem nostram declamare et debacchari pergunt;
quin et orationes suas typis publicis vulgare, quae plerumque ab heterodoxis sunt
concinnatae; et licet nomen Societatis nostrae non exprimant, omnes tamen
perspicue intelligunt, neminem alium, nisi nostros peti, quin et habent
Electorem sibi omnino faventem, qui etiam nostris superioribus aperte
contestatus est, sibi rem ingratam fore, si quis nostrum scriptis academiam
hanc aliquo modo peteret, nec etiam hucusque superiores nostri remedium
aliquod invenere, quo huic malo occurrerent; unde etiam spero haud
opus fore, ut rogem Rᵃ Vrᵃ, sed pro suamet prudentia ab his iis, quo
annuatim maximo cum eruditionis et scientiarum ~~de~~ emolumento edere
solet, abstinebit. Det Deus, ne academia haec maiora mala in Bavariam
nostram invehat. certe a tempore, quo erecta fuit, apud non paucos
religio et praecepta ecclesiae ~~aperte~~ nonnihil Monachii viluere; unde fere continuo
tam apud nostros concionatores quam etiam quosdam alios in suis allocutionibus
ad populum hunc religionis defectum Monachii, pro suo obiecto habent, ne ulterius
grassetur. P. Daniel Stadler, qui non iussus e scala excesse, ut quidam
heterodoxi suis in novellis sparserunt, attamen iterum revocarunt, sed
sponte suam ex aula dimissionem petierat, vivit vegetus, nunc concionator
Bruntruti. hoc eodem currente anno similis academia Manhemii quoque
erecta fuit, ad quam Catholicis aeque, ac heterodoxis accessus patet,
soli Jesuitis inde exclusi, ut P. Christianus Maier ante duos menses
me edocuit, quin iam etiam heterodoxus huius academiae praeses est. Elector
tamen Palatinus Pri Maier titulum astronomi Electoralis attribuit. Hic idem
in suis postremis litteris nullam mentionem fecerat de Cassino; quantum autem
ex eiusdem Pris Maier opusculo, in quo suas dimensiones geometricas in Palatinatu
factas describit, quale, uti credo, etiam Rᵃᵉ Vᵃᵉ transmiserit, collegi, D. Cassinus
labores suos needum typis vulgavit. cum per duos dies hic in nostro collegio morabatur,
capere non potui, quomodo ope simplicis pedes quadrantis, cuius praeterea radius duntaxat erat unius
pedis, ausus fuerit, ut profitebatur, ad tantam distantiam normalem ad meridianum Paris-
iensem definire. academicos Parisienses hodierna quoque aura regi neutiquam mirer. id
iam in ipso quoque D. Cassino praesente advertere licuit. Dum plura folium negat, me interea
in omnia Sancta Sacrificia demississime commendo Ingolstadii 25 Novembr. 1763. Reverentiae Vestrae

Servus in Christo infimus Georg
Kratz

+

Reverendo Patri in Christo
P. Maximiliano Hell
Societatis Jesu
Astronomo Caesareo

8

~~[illegible]~~

Viennae Austr.